

DE CATULLI CARMINE SEXTO DECIMO ANNOTATIUNCULA QUAEDAM

Elegantissime nuper disseruit de Catulli carmine sexto decimo Chilonensis uir ille doctissimus Detlev Fehling¹⁾ – cum de poematio ipso, quid sibi uellet, uniuerso, tum de uersibus primo secundo postremo imprimis, quae significarent: nempe res ita se habere, ut zoologica quadam praemonitione imbutus poeta amicissimos se afflicturum sit minatus pedicatione et irrumatione punitiua. Omissas, contendo, rationes has duas: neque zoologum natum Catullum, neque nos satis cognosse uulgarem, *slang* quae Anglice diceretur, Latinam linguam atque cogitationem. Poeta enim, si Germanus fuisset, basiationis cuiusdam²⁾ imagine usus esset, uel defaecationis; Anglus autem si natus esset, pedicationis – qua ratione Romanum cogitasse uulgariter luce est clarius. Catullus igitur, cui cum Aurelium Furium ob cogitationes castigaret obscenas, idcirco impiae uoci indulgere non liceret, phrasin composuit perridicule inflatam³⁾, cum Aurelii Furii Anglica lingua loquentes uulgari, neutiquam minantes pedicationem, dixissent *fuck you* – „nam castum esse decet pium poetam“⁴⁾).

Zoologico argumento cum origo minationis pedicandi in lingua uulgari inuentae aptissime explicari uideretur, persuasum mihi est requisita esse ad Catulli uersus istos interpretandos argumenta philologica.